

*Scripturae, in quibus Iudas dicitur proditor* (Mare. 14, v. 10. Et Luc. 6, v. 16) *Magistri sui, cum aliis textibus* (Isa. 53, v. 7, ad Galat. 2, v. 20; Ioan. cap. 10, v. 18 et cap. 17, v. 10), *in quibus affirmatur, ultro subiisse mortem, et pro nobis oblatus fuisse, conciliari possint?* Hanc quaestionem movet, et praeter alia dubia contra s. Scripturam congesta proponit anonymus ille scriptor, quem iam saepius supra (1) refutavimus. Ita enim inter alia inquit: « Scriptura narrat, Iudam prodidisse magistrum suum. Sed nemo proditur, nisi qui se occultat. Verum, num Christus sese occultavit, aut mortem evitare studuit? Quomodo hoc concordat cum aliis Scripturae locis, in quibus dicitur, quod se sponte pro peccatis humani generis tanquam hostiam ad mortem obtulerit? »

¶. et dico: Equidem Christus (2) *ab illo die, quo iudaei cogitaverunt eum interficere, iam non in palam* (id est libere, aperte, publice) *ambulabat apud iudaeos.* Quare? non quasi detrectaret voluntatem Patris divini exequi moriendo pro genere humano, sed quia necdum venerat hora mortis eius a Patre decreta: sicut ob eandem rationem alias (3), cum iudaei *tulerunt lapides ut iacerent in eum... abscondit se et exivit de templo.* Praeterea fecit hoc, ut nobis exemplum daret, per fugam pericula vitae devitandi. Non enim venit in mundum dumtaxat, ut pro nobis moretur; sed etiam, ut nos verbo et exemplo doceret, orbis magister et

(1) Num. 169. et etiam alibi.

(2) Ioan. c. 14, v. 35 et 54.

(3) Ioan. c. 8, v. 59.

(4) In fine tract. 49 in Ioan.

(5) Hermann. Goldhagen p. 5, introd. in s. Script. ab initio, pag. 16 et 17. Joseph Weissenbach part. 5 nov. form. theol.

doctor humani generis. Ita *Cyrillus, Theophyl., Origenes, Beda, Rupertus et Augustinus*, qui (4) inquit: « Non quia potentia eius defecerat, in qua utique si vellet, et palam iudaeis conversaretur, et nihil ei facerent: sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis monstrabat, in quo apparet, non esse peccatum, si fideles eius, qui sunt membra eius, oculis persecutorum se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius devitarent, quam se offerendo magis accenderent. »

215. QUÆRES XI. *An conveniens fuerit, Deum maiestatis incarnari, pati, et tam ignominiose, prout evangelistae narrant, in cruce mori?* ¶. Est haec tam veterum, quam recentiorum incredulorum, maxime deistarum obiectio iam centies a patribus, interpretibus et theologis (5) refutata, quibuscum dico: Incarnatio, passio et mors Filii Dei naturalis, non solum non fuit Deo inconveniens, sed potius positive conveniens censenda est, nullumque ex vitae, passionis et mortis *Iesu Christi* mysteriis ita obscurum et apparenter vile est, ut non aliquis inde divinitatis radius traluceat. Sic, ut alia taceam concipitur quidem in carne, sed de Spiritu sancto, sed de Virgine (6). In humili et obscuro loco nascitur: sed natum annuntiant angeli, stella indicat, reges adorant, timet *Herodes* (7). Vivit pauper, per pagos et deserta circumiens: sed stupenda patrat miracula, inter quae etiam erat cibatio plurium millium

bibl. I. 1, q. 2, l. 6, q. 14 et 15. Et praesertim Anton. Ziegler in dissertat. de Incarnatione Verbi. Q. 2, art. 2, § 1, num. 47-50.

(6) Luc. c. 1, v. 55. Et Matth. c. 1, v. 25

(7) Matth. c. 2.

hominum in deserto (1). A militibus comprehenditur: sed eos una prius voce prosternit, et quasi fulminatos humi affigit (2). Crucifigitur: sed sol obscuratur, et velum templi scinditur medium (3). Moritur: sed insolitis terra motibus quatitur, petrae dissiliunt, reserantur monumenta, et multa corpora sanctorum surgunt (4). Sepulcro conditur: at propria virtute resurgit, coelumque mortis ac inferni victor conscendit. Atque ita ut se Deum simul ac hominem probaret, mutuis veluti vicibus et divinitas splendore suo humanitatem illustrabat, et humanitas obducto quasi velo divinitatem occultabat.

Caeterum positiva convenientia incarnationis, passionis, et mortis Christi ulterius ex eo evincitur, quia perfectiones divinae, omnipotentia, sapientia, iustitia et misericordia specialiter ex illis mysteriis elucent. OMNIPOTENTIA quidem, cum duas naturas, perfectione infinitum distantes, divinam et humanam simul in una divini Verbi persona, intimo nexu, sine ulla tamen confusione ac permixtione, sed salvis utriusque proprietatibus ita coniunxit, ut *nec inferiorem consumat glorificatio*, verba sunt s. Leonis (5), *nec superiorem minuat assumptio*. Dein SAPIENTIA, quoniam illa modum plane divinum adinventit conciliandae cum iustitia misericordiae, salvis atque illaesis utriusque iuribus. Laesa enim per peccatum hominis erat Dei maiestas: debitam pro offensa satisfactionem exigebat. IUSTITIA, illam praestare de suo homo reus non potuit. Periret ergo universum hu-

manum genus? ID MISERICORDIA noluit. Stupendo itaque divinae sapientiae consilio Deus carnem induit, ut, cum Homo-Deus pro homine reo condignam exhiberet satisfactionem, et suum misericordiae servaretur, et suus misericordiae locus remaneret. Atque ita factum est, inquit *Ivo Carnotensis* (6), *ut Deus nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est, nec insanabile, quia misericors est.*

Praeter rationes hucusque allegatas dantur complures aliae causae, ob quas Deus Filium suum incarnari, pati et mori pro genere humano sapientissime voluit. Multae a ss. patribus commemorantur: aliquas annotasse sufficiat. I. Ut ostenderet infinitam caritatem suam erga nos, qui *etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (7): et ut tanto amoris excessu ad reciprocum amorem accenderemur. *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (8). II. Ut ostenderet gravitatem peccati, ad quod delendum Deus tam gravem et inauditam satisfactionem exegit. III. Ut Deus homo nobis esset exemplar profundissimae humilitatis, patientiae et caeterarum virtutum, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* (9), et disceremus, in omnibus adversis humiliter et heroice pati. Neque enim divinus Servator venit in mundum dumtaxat, ut nos a peccato et inferno redimeret, sed etiam ut nos verbo et exemplo doceret, rectamque ad coelum viam, quae non alia est, nisi via crucis, monstraret.

(1) Matth. c. 15.

(2) Ioan. c. 18, v. 6.

(3) Luc. c. 25, v. 44 et 45.

(4) Matth. c. 27, v. 51 et 52.

(5) Sermo 1 de Nativ.

(6) Sermo 6.

(7) Ad Rom. c. 8, v. 52.

(8) Ad Ephes. c. 5, v. 2.

(9) I. Petr. c. 2, v. 21.

216. QUÆRES XII. *Quomodo blasphemia Calvini dicentis, Christum quando (Matth. c. 27, v. 46) in cruce pendens CLAMAVIT.... VOCE MAGNA.... DEUS MEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? desperasse, refutanda sit?* Antequam respondeam, observo quod *Calvinus* haec esse Christi in cruce desperantis verba, hoc argumento probet, quia, inquit, oportuit Christum, in quem ira Dei hominibus debita effundebatur, omnes damnatorum poenas experiri, inter quas etiam est desperatio. Sed R. I. Ut Christus offenso Deo pro peccatis nostris condigne et superabundanter satisfaceret, necesse non erat, ut omnes damnatorum poenas experiretur; alias etiam aeternitatem poenarum, quae damnatos continuo et tantopere affligit et premit, experiri debuisset. Quin ne illud quidem fuit necessarium, ut Christus tam magnam subiret poenam, quam multi pro Christo martyres subierunt. Non enim magnitudo, vel multitudo poenae sed conditio personae satisfaciendae placavit Deum. Quidquid enim Deus pateretur, tantum erat, ut offenso per peccata hominum Deo satisfaceret; ut theologi (1) in tractatu de Incarnatione ostendere solent.

R. II. et dico, blasphemiam *Calvini* hic memoratam elidere seipsam. Si enim Christus in cruce desperavit: ergo peccavit peccato grandi: ergo irae Dei non satisfecit, sed magis eam accendit. Et quomodo Christus dici potest desperasse in cruce, qui paulo post moriens clamavit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (2)? Quae profecto verba non sunt desperan-

(1) Vide cl. *Ioseph Widmann*. tom. 3, instit. theol. cap. 1, art. 4, § 48-53, vel quemvis alium orthodoxum theologum in tractat. de Incarnat.

tis. Quare etiam verba illa *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non ex impatientia, aut abiecta spe erant orta, neque Christi humanitatem a divinitate et unione hypostatica Verbi, aut etiam a gratia et amicitia Dei separatam indicabant; sed solum declarabant, quod Pater eum a morte iam instante non eripiat, nec consolatione ulla tam diram passionem, in carne et parte animae inferiore mulceat et mitiget, sed eum doloribus et tormentis meris cruciari permittat; ut ostendat, quam amara et acerbata sit illi in cruce mors, et animae a corpore per tantos dolores extorsio, ac tam violenta partium amicarum separatio; sicut in Oliveto agonizans sudansque sanguinem oravit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*. Ita s. *Hieronymus, Chryst., Theophyl., Euthymius*, et passim caeteri. Vide etiam sermonem 65 et 66 s. *Leonis M.*, qui huc faciunt egregie. Iure igitur merito *Maldonatus* (3), unus ex celeberrimis interpretibus, consultato illo immani errore *Calvini*, exclamat hunc in modum: *Facessat igitur ista blasphemia! Satis blasphemiarum a iudaeis in cruce pendens Christus accepit. Opus non est, ut ab haereticis interpretibus ad dextram Patris sedens plures accipiat*. Adde, quod dictam *Calvini* blasphemiam ipsi *Hugo Grotius, et Gerardus Ioannes Vossius*, calvinistarum doctissimi, aversentur.

SCHOLION. *Cornelius a Lap.* (4) cum aliis interpretibus observat, quod Christus in cruce continue orans, seseque totum Deo in victimam offerens pro salute hominum, sub finem vitae iam moriturus re-

(2) Luc. c. 23, v. 46.

(3) Comment. in Matth. c. 27, v. 46.

(4) Ibid.

citaverit psalmum 21 qui incipit: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* quique totus est de passione Christi, ut nimirum (quemadmodum laudatus interpret ait) ostenderet, se esse illum ipsum, de quo psalmus ille agit, scilicet Messiam, ut scribae et iudaei scrutentur et cognoscant causam, cur e cruce nolit descendere vel liberari, esse hanc, quod ex Patris decreto moriendum illi erat in cruce pro salute hominum. Hoc enim *David* psalmo illo praedixit.

217. QUÆRES XIII. *An non sit paradoxum et absurdum, quod Deus ab homine offensus, loco satisfactionis exegerit passionem et mortem Dei-hominis seu Christi, hoc est, ut ab hominibus (iudaeis nempe, et gentibus, seu romanis militibus) contemneretur et crucifigeretur?* R. Scriptor anonymus, qui haec obiicit, et iam saepius supra (1) a nobis est refutatus, laborat falso supposito, ac si nos christiani dicemus, quod Deus ab homine in satisfactionem peccatorum exegerit, ut ab ipso contemnatur et crucifigatur. Hoc suppositum est falsum et blasphemum; quia Deus nullum peccatum in satisfactionem offensae aut offensarum sibi illatarum exigere potest. Iam vero deicidium est unum ex gravissimis peccatis. Non igitur Deus exegit ab homine, aut praecepit, ut Filium Dei seu Christum occidat; sed praevisa iudaeorum obstinata voluntate occidendi Christum, eam permisit, et voluit, ut Christus, cum pateretur, et cruci affigeretur, suam passionem et mortem pro redemptione generis humani Deo offerret. Eleganter hanc in rem s. *Leo* (2) ait: *Diversum et contrarium est, id quod*

*in malignitate iudaeorum est praecognitum, et quod in Christi passione est dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris*. Aliud igitur est, quod Deus offensus in satisfactionem ab homine offendente exegerit, ut Filium Dei contemnat, crucifigat et occidat; et aliud, quod ab ipso Filio suo divino loco satisfactionis exegerit, ut supposita aliunde malitia iudaeorum volentium ipsum occidere, suam mortem et passionem Deo offerat pro redimento humano genere. Primum Pater divinus exigere non potuit, bene autem secundum, quia sic iudaeos ad deicidium non impulit, sed praevisa illorum mala voluntate, eam ex sapientissimis finibus permisit, eaque ad obtinendam condignam pro peccatis humani generis satisfactionem simulque ad manifestandas praestantissimo modo perfectiones suas, omnipotentiam, iustitiam, misericordiam, etc., uti supra (3) ostensum est, usus est.

218. INSTAT idem anonymus scriptor, et quaerit, an Deus non potuerit convenientiori modo opus redemptionis generis humani exsequi, quam ut una hominum pars eodem tempore, quo redemptio fiebat, peccaret? Iudaei enim arguuntur sceleris, quod Christum crucifixerint. At nisi hoc fecissent, nullus fuisset Redemptor generis humani; quia Pater divinus non aliter redemptionem generis humani consensit, nisi hac conditione, ut Filius divinus in satisfactionem pro peccatis hominum supplicium crucis, mortemque ipsam perferat. R. Equidem iudaei executi sunt, quae

(1) Num. 169, et etiam alibi.

(2) Serm. 16 de passione Domini.

(3) Num. 215.

divinus Pater aeterno consilio decrevit fieri, nempe pati et mori Christum ad humani generis redemptionem et salutem, iuxta illud Actor. 4, v. 27 et 28: *Convenerunt iudaei in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum.... facere, quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Nihilominus nec iudaei excusantur ab enormi scelere deicidii, nec Pater divinus fuit huius auctor; quia illud non positive voluit, nec praedefinivit, aut iudaeos ad hoc scelus impulit; sed tantum permisit, et illo permissio usus est ad opus redemptionis. Praevisis enim per praescientiam conditionatam perversis iudaeorum voluntatibus et actibus, quod scilicet Christum, si is vitia ipsorum carperet, occiderent, decrevit Deus hoc iudaeorum scelus permittere, et passionem ac mortem Christi voluntarie se tanquam hostiam pro peccatis totius mundi offerentis tanquam condignam et superabundantem satisfactionem acceptare: sicque redemptio generis humani per passionem et mortem Christi sapientissime et sanctissime a Deo decreta fuit, et dum iudaeorum Christum crucifigentium *actio displicuit* extreme Deo, Christi tamen *passio* et inde resultans mundi redemptio, *grata fuit.*

219. QUARES ULTIMO: *Quid demum ex omnibus hoc opusculo contra incredulos ad defendendam authenticam, divinitatem, et veritatem quatuor evangeliorum dictis, sit concludendum?* R. Id concludendum, quod deploranda sit caecitas et pervicacia incredulorum, qui ob textum intellectu difficiles, aut *apparenter solum* sibi oppositos sacra quatuor evangelia antiquissimo universalis ecclesiae usu et iudicio tanquam genuinum Dei verbum scriptum pridem recepta, nostris prae-

cipue temporibus proterve reiiciunt. Aiunt quidem magnam cerni diversitatem inter haec evangelia, et saepe in uno de vita et gestis Iesu Christi aliquid legi, quod ab altero evangelista omittitur. Verum quid veracitati evangelistarum obsit, quod alius brevius, alius copiosius vitam Christi describat? *Livius et Florus* de eadem romanorum historia scripserunt; hic succincte, ille fusius: habemus duo *Dionis Cassii* breviora composita a *Xiphilino* et *Theodosio*: uterque narrat eventus principales; minus principales refert alter, alter omittit, nec inde veritas historica patitur. Cur ergo evangelistis crimini detur, quod alius plura, pauciora alius commemoret? quod sileat qui scribendo alterum sequitur, quae ab isto iam scripta intelligit? An non inde potius admirabile divini Spiritus consilium elucet, quo voluit ab ista qualicumque evangelistarum in scribendo diversitate orbi patere, eos neutiquam ex conducto egisse, aut ad decipiendos lectores conspirasse; nam qui hoc propositum habent, solliciti cavent, ne disiuncta, aut ab altero, quocumque conspirant, diversa loquantur. Caeterum varietas in narrando evangelistarum paulo ante memorata non ex defectu sinceritatis aut veritatis, sed ex diversitate occasionis vel scopi, quem quisque evangelista in scribendo respexit, promanavit; ut iam supra (1) ostensum est.

220. Sed INSTANT identidem increduli dicentes, a quatuor evangelistis non tantum diversa, sed omnino contradictoria scribi; plurimas enim in evangelis occurrere antilogias sive contradictiones. R. Equidem vetus et usitata haec est incredulorum blasphemia, quibus,

(1) Sect. 1, n. 17.

ut cl. *Weissenbach* (1) refert, etiam accinit *dom. de Voltaire* in *gravibus disquisitionibus*, quasi *Bolyngbrokio* a se suppositas mirifice dilaudat ipsemet, ubi inter alia de antilogiis istis ita loquitur: *Debit demum liber harmoniae, sive consensus (evangelistarum) scribi ad istam multitudinem adversantium sibi locorum utcumque conciliandam.* Verum ex hoc ipso denuo manifesta est bona sinceraque ss. evangelistarum fides; nunquam enim vel ad speciem seu *apparenter* contraria protulissent, si facta inter se conspiratione ad scribendam fictam historiam evangelicam se accinxissent. NOLUERUNT igitur FALLE-RE, nec ullum communis inter eos consilii aut conspirationis vestigium extat; sed potius singulari praecel- lunt modestia, simplicitate, et constanti sinceritate, non solum in nar- randis iis, quae ad gloriam magistri sui Christi, sed et ad eiusdem contemptum aut ignominiam cederent, qualia sunt paupertas, opprobria, persecutiones, ipsumque infame mortis genus ab eodem toleratum. Imo NON POTUERUNT FALLE-RE evangelistae; quia scripserunt ea, quae non tantum ipsi, sed et in- numeri alii viderunt vel audierunt, quaeque coram ingenti hominum multitudine dicta et patrata sunt: scripserunt viventibus, et eorum scripta legentibus adhuc iis, qui a Christo sanitati restituti, a daemone liberati, a mortuis suscitati sunt, nemine auso horum scriptorum veritatem impugnare: denique scripserunt facta talia, quae solerter examinare iudaeorum et paganorum plurimum intererat. Agebatur enim de rebus summi ad ipsos momenti, nem-

pe ut avitam religionem abiicerent, eamque cum nova prorsus, stupenda vitamque castigatissimam poscente commutarent.

Quid igitur improbus incredulo- rum, quo singulas evangeliorum minutias excutiunt, ut contradic- tionem, aut absurdum vel unicum conquirant, quid inquam, prodiit hic conatus, nisi quod magno exoptent studio, e religionis suis affec- tionibus tam adversae vinculis se- met expedire, nec tamen possint unquam omni suo ingenio, nisi ina- nissimas argutias solidissimae e- vangeliorum veritati opponere; pro- ut ex tota hac nostra lucubratione abunde elucet? Fatemur ultro, complures locos intellectu difficiles in evangelis (sicut et in caeteris s. Scripturae libris) reperiri, qui ex- plicatione opus habeant: at ausim spon- sionem quamcumque facere, si vel unicum ostendere increduli pos- sint, qui aut scriptoris evangelici malam fidem, aut evangeliorum (vel aliarum sacrarum Scripturarum) secum ipsis *realem* oppositionem e- vincat. Sola autem dictorum obscu- ritas in monumentis tam antiquis hinc inde sese legentibus offundens eorum veritati officere nequaquam potest. Numquid enim documenta illa ex quibus ab aevo in aevum profanae historiae ab omnibus re- ceptae series contextitur apud sa- pientes omnes auctoritate indubita ta pollent; tametsi et ipsa plurimis obscuritatibus, et nodis quandoque vix solubilibus (2) implicentur, multumque insuper ab ea ingenua indole veritatis absint, cuius cha- racteres tam manifestos Scriptura sacra christianorum ex omni parte ostendat, ut ipse *Iacob Rousseau* (3)

(1) P. 5 nov. form. theol. bibl. 1. 1, §. 4.

(2) Idcirco apud profanos quoque in-

numeri extant commentarii in *Homerum, Lucretium, Horatium, Iuvenalem, etc.*

(3) In tom. 2 Emilii sui.

theista famosissimus fatetur; quamvis brevi iterum a sapienti hac crisi, ob mysteriorum humana ratione altiorum horrorem, quae in s. Scriptura proponuntur, velut in phrenesi recidat, et inveterato incredulitatis malo abripiatur. Deus ab hoc malo nos praeservet, et ut praeservemur, ferventer et constanter oremus. Fides enim est donum Dei et lumen, quod non viribus naturalibus, sed auxilio supernaturali a Patre luminum suppliciter obtinere debemus.

# NOVUM TESTAMENTUM

## PARS II.

### ACTA APOSTOLORUM ET EPISTOLAE S. PAULI

*Isti (apostoli) sunt Lux Mundi, quia per ipsos lumen fidei et verae scientiae primum Dominus huic mundo tradidit, et ab errorum ac peccatorum tenebris gentes et populos eruit.*

S. August., Serm. 42 de Sanctis.

#### SECTIO I.

#### DE ACTIS APOSTOLORUM

ACTA APOSTOLORUM capitibus viginti et octo Christi in coelos ascensionem, visibilem Spiritus s. missionem, nascentis ecclesiae christianae primordia, gesta apostolorum (praecipue s. Pauli) describunt. Auctor huius libri est s. Lucas, qui eum graeco sermone conscripsit.

1. QUÆRES I. *Utrum acta apostolorum sint liber canonicus et divinae auctoritatis?* R. Affirmative. Id enim iam a nobis ostensum est p. IV Scripturae s. contra incredulos propugnatae, V. T., sectio I, quær. I, ubi libros omnes, quos Tridentinum in canone sacrorum librorum posuit, et inter quos etiam sunt Acta apostolorum, canonicos atque divinos esse probavimus. Porro id ipsum ulterius confirmatur ex eo, quia sancti ecclesiae patres *Actorum apostolicorum*

textus uti divinitus inspiratos semper aeque laudaverunt, atque eandem semper auctoritatem his actis, ac aliis s. Scripturae libris tribuerunt. Ad *Acta enim apostolorum* appellat s. Clemens (1) tanquam ad divinam Scripturam; et s. Polycarpus (2) uti divinum laudat testimonium desumptum ex cap. 2, v. 24 *Actorum apostolicorum*. Apologistae quoque christianae religionis ad acta apostolorum, uti ad Scripturam divinitus inspiratam recurrerunt, quod fecit etiam s. Irenaeus (3), sicuti omnes alii patres eiusdem aetatis, sequentiumque seculorum; quemadmodum ex s. Augustino nosse possumus, qui (4) de *Actis apostolorum* inquit: « Actus apostolorum testes sunt: ille liber canonicus omni anno in ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post pas-

(1) In sua 4 epist. ad Corinth. n. 8, et in fragmento 2 epist.

(2) In ep. ad Philipp.

(3) L. 5 contra Haeres. c. 12, atque alibi saepe.

(4) In Ioan. c. 4, tract. 6, n. 18.